



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Posterior pars verioris sententiæ. c. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Bona res-
pectu in
relatione
conuenientie
consistit.

Dispositio di-
ci potest ali-
quid bonum
respectu boni.

Aliquorum
ratio quatuor
modis probatur.

Deum quo ge-
nere bonitas
in creaturis
habetur sit.

Nota.

Deum secun-
dum se malum
esse non potest
creaturis.

re & ad aliud; alterum est de bono absolute, & in se: priorem partem in hoc cap. explicabimus. posterioiorem vero in sequenti. Bonum igitur relationis, & quod est alteri bonum in relatione conuenientie positum est, & in hoc verum existimo sententiam Durandi. An vero semper relatio illa sit rationalis, vel realis, parum interest. In moralibus autem, tam bonitatem, quam malitiam in vniuersum esse relationem rationis, probabo, 1.2. q. 71. art. 6. Inter illa vero, quæ dicuntur bona hoc modo, quædam primarie bona sunt, quia ratione sui alteri conueniunt, ut sunt formæ accidentariæ subiecto inhærentes: quædam vero dicuntur secundarie bonæ ab effectu, quia aliquid bonum in subiecto efficiunt; quo pacto vna substantia alteri dicitur bona.

Obseruandum tamen est, bonitatem hoc modo non esse passionem entis, vt cap. 2. contra Durandum probatum est. Probat autem nonnulli hanc relationem conuenientie; quam diximus esse bonitatem, realem non esse, quia relatio illa vel esset bona alia bonitate, vel non: Si non esset bona alia bonitate, sequeretur ens, & bonum non recipiari, quod est absurdum: Si vero esset bona alia bonitate, fieret processus in infinitum, nisi diceremus bonitatem, qua prior illa relatio, & bonitas bona est, esse relationem rationis, priorem vero esse realem: Ex quo fieret, vt bonitas, quæ conuertitur cum ente, non esset relatio realis in vniuersum. Verum hæc ratio, licet conuinceret, bonitatem, quæ sequitur rationem entis, & cum eo conuertitur, non esse realem relationem conuenientie; non tamen probat, non esse aliquam bonitatem, quæ in sola relatione reali conuenientie posita sit. An vero omnino probet, bonitatem non esse relationem realem, capite sequenti videbimus.

Hoc genere bonitatis Deus summe bonus est creaturis: relatio tamen conuenientie; quæ in ipso est, non est realis, sed rationis, sicut de relatione omnipotentie dicemus inferius disp. 10. q. 6. & de alijs, quibus Deus ad creaturas refertur: nihilominus ratio bonitatis hoc modo primarie Deo conuenit, non secundarie; hoc est, non ideo bonus est creaturis, quia in illis aliquid bonum operatur, (quamquam & hoc etiam verum est) sed quia ipsis ratione sui proxime conueniens est. Primum quidem omnibus rebus in vniuersum: etiam brutis, & inanimis: quia ipsorum totum esse producit, & conseruat, quod quidem ipsis rebus non est hoc modo bonum, cum ab ipsis non distingatur villo modo. Deinde creaturis rationalibus præcipue bonus est, cognitus, & apprehensus. Sic enim & est id, de quo delectamur, & quod desideramus: desiderium autem, & delectatio sunt de bono conuenienti.

Porro Deum esse proximum obiectum desiderij, & delectationis, probabimus contra Durandum, 1.2. q. 4. art. 1. De malitia vero bonitati hoc modo opposita, alio modo dicendum est, neque enim Deus secundum se malus nobis esse potest, sed tantum ab effectu, quia in nobis efficere potest aliquid dissonum nature: qua de causa in eo etiam art. dicemus, Deum esse quidem obiectum delectationis, & desiderij, non autem doloris, & timoris. Cæterum de hoc genere bonitatis, quo aliquid dicitur alteri conueniens, non disputat S. Thomas in hac q. neque institutum illius in sequenti q. est, probare Deum hoc modo bonum esse.

Vsq. in 1. partem Tomus I.

Deinde dicendum erat de bonitate morali, quæ in relatione conuenientie cum natura rationali consistit: de hac tamen commodius disputabitur, 1.2. q. 19. & 20. Qua varo ratione Deus sit bonus hoc genere bonitatis, facile nunc explicari potest. Est igitur bonus, siue eius bonitas spectetur in operationibus intra ipsum, siue in operationibus extra; nullius enim culpæ, aut peccati auctor est: bonitas tamen illius est alterius rationis quam hominis, aut Angeli: neque enim est causa meriti, sicut est in homine, aut in Angelo. De hoc tamen genere bonitatis non agit S. Thomas in hac questione, neque in sequenti: neque bonitas hoc modo à S. Thoma, aliove doctore inter Dei attributa numeratur. Attributa enim non secundum rationem genericam, sed secundum rationem specificam assignanda sunt: ratio autem bonitatis moralis generica est, quæ in pluribus virtutibus reperitur, ex quibus aliquas Deo tribuimus, vt veracitatem, fidelitatem, iustitiam, misericordiam &c. attributum igitur bonitatis, de quo S. Thomas, & alij Scholastici disputant, est, quod responderet passioi entis, quam philosophi bonitatem entitativam appellant, de qua sequenti e. differendum est.

Videri posset alicui, præter bonitatem, quæ responderet passioni entis, debere Deo assignari bonitatem quandam sanctitatis distinctam ab ea, quæ est in singulis virtutum operibus, qua etiam paruuli baptizati sancti sunt. Respondeo in nobis, & Angelis præter bonitatem, quam vocant entitativam, & præter moralem, quæ est in singulis virtutum operibus, esse bonitatem sanctitatis, quæ consistit in eo, vt iuste Deo adæquemur: sed necesse non esse, Deo tribuere aliquam bonitatem sanctitatis, præter bonitatem suam entitativam, & moralem in singulis operibus omnino perfectam sine crimine, quia non habet, cui ipse adæquari debeat, vt iustus & sanctus sit: sed hoc ipso est regula omnis sanctitatis.

CAPVT V.

Posterior pars verioris sententia.

Reliquum est, vt de bono, quod conuertitur cum ente, & de malo opposito dicamus. Ratio igitur formalis bonitatis, quæ conuertitur cum ente, mea quidem sententia, est integritas, & perfectio rei in suo esse. Quare idem est bonum hoc genere bonitatis, atque integrum, seu perfectum, quo vero pacto reciprocetur cum ente, statim dicemus.

Hanc sententiam disertis verbis tradit S. Thomas in hac quæst. nam in 1. art. inquit bonum esse, quod omnia appetunt: vnumquodque vero appetitur, secundum quod est perfectum, & in solut. r. inquit: Sed bonum dicitur rationem perfecti. Et paucis interiectis: Vnde quod est vltimo perfectum, dicitur bonum simpliciter, quod autem non habet vltimam perfectionem, quam debet habere, quamuis habeas aliquam perfectionem, in quantum est actus, non dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundum quid. Quare cum in 1. a. in fine subiungit: Bonum dicitur rationem appetibilem, non intelligit denominationem relationis à potentia appetente, nec relationem conuenientie, sed rationem perfecti, in qua fundatur præcipue, & ex qua prouenit, vt res aliqua appetatur. In artic. 3. & 5. idem omnino docet,

Bonitas moralis qualis.

Cur hæc bonitas Dei attributum non sit.

Bonitas transcendentalis in quo consistat.

S. Thomas.

Bonum & perfectum idem.

23

K 2

&

& tandem in art. 5. colligit rationem boni, quæ in perfectione posita est, constare modo, specie, & ordine. Ex quibus licet modum varie videatur explicare idem S. Doctor in hanc quæst. art. 5. & 1. 1. quæst. 85. art. 4. & quæst. 21. de veritate; eodem tamen recidit, ut optime notat Caietan. in prædicto art. 5. Quous autem modo explicetur, saltem ex S. Thoma habemus, rationem boni ex modo, specie, & ordine constari. atque ita idem esse bonitatem entis, & integritatem illius ex his omnibus perfectam. Quam doctrinam desumpsit ex August. lib. de natura boni cap. 3. 4. & 5. ubi illa tria appellat bona, non quia vnumquodque illorum sine alio rationem boni constituat, sed quia ad rationem boni simpliciter omnia conferunt, tamen si deficiente aliquo, manere possit ratio aliqua boni, ut inferius notabimus.

Horum autem trium explicationem indicat Augustinus cap. illo 3. quæ hoc pacto disponi posset, ut modus dicatur rei moderatio, hoc est, temperies, & debita commensuratio partium, vel eorum, quæ ad ipsius constitutionem conueniunt: Species vero sit, quæ res sit speciosa, quæ ad pulchritudinem refertur: Pulchritudo autem non est quæcumque bonitas, sed quæ cognitioni, aut visui placet: Ordo denique vocetur series eorum, ex quibus res constat, & ordinate constituitur. Quæ vero ratione hæc tria explicet S. Thom. habes in textu.

Ratione autem probari potest hæc opinio: quoniam si alicui rei desit quidquam ex ijs, quæ ad eius integritatem conuenire debent, ex illius defectu dicitur, & est mala; non quia alteri disconueniens sit: sic enim non diceretur absolute, sed quibusdam mala, quia nulla res est, quæ omnibus alijs disconueniens sit: ergo bonitas rei absoluta in integritate illius posita est. Hoc modo dicimus malum equum, cui deest oculus, vel aliquid aliud. Nam in iste Augustino cap. illo 4. malitia nihil est aliud, quam corruptio modi, vel speciei, vel ordinis. Pro hac nostra sententia refertur potest Heruæus quod lib. 3. quæst. 2. artic. 2. ubi docet, rationem formalem boni aut esse perfectionem ipsam rei, aut aliquid ad perfectionem ordinatum, ut hac ratione defendat, ens & bonum reciprocari. Contingit enim aliquando rem non esse absolutam, & perfectam: quia tamen nulla est, quæ non habeat aliquid ad suam perfectionem ordinatum, ideo nulla est, quæ non habeat bonitatem.

Verum non opus erat hoc effugium excogitare, ut statim cap. sequenti patebit. Heruæus autem phrasim Augustini secutus videtur, qui, ut paulo ante dicebamus, tria illa, quibus res perficitur, nempe modum, speciem, & ordinem, appellat tria bona, aut tres bonitates; non quia vnumquodque illorum sine alio constituat bonum simpliciter, sed quia ad plenum, & absolutum esse, in quo simpliciter bonitas consistit, conueniunt: Et in hoc sensu dixit Heruæus, bonum seu bonitatem esse finem, aut aliquid ad finem ordinatum: perfectum enim, & finis reciprocantur: quare sicut bonum aut est perfectum, aut ad perfectionem ordinatum, sic etiam aut est finis, aut ad finem ordinatum.

CAPVT VI.

Quædam oppositiones contra prædictam sententiam.

Prima obiectio

Reliquum est, ut quasdam obiectiones contra prædictam sententiam diluamus, quo ma-

gis, ac magis perspicua reddatur. Prima est, quia ex prædicta doctrina videtur sequi, ens, & bonum non reciprocari, siquidem non omne ens integrum est, neque habet omnia ad sui perfectionem necessaria: quocirca & aliqua entia mala erunt: in quo Manichæo consentire videremur, qui docuit aliquas substantias malas esse.

Ut huic obiectioni occurramus, notandum est primum, Manichæum non solum docuisse aliquam substantiam, seu naturam, quod idem est, ut ostendimus 1. 2. quæst. 71. artic. 6. esse malam, verum etiam substantialiter esse malam, quatenus talis natura, & substantia est, ratione propriæ entitatis, ut constat ex Augustino lib. 2. de moribus Manichæorum à cap. 1. vsque ad 8. & lib. de natura boni cap. 16. Quare solum contra Manichæum contendit Augustinus in illis duobus locis, & alibi sæpenumero, monstrare nullam naturam quatenus natura, & ens est, esse malam. Concedit tamen aperte in eo lib. de natura boni cap. 4. aliquam naturam, seu substantiam esse malam, quando scilicet corrupta est. Corruptam vero appellat, non quæ omnino iam non est, sed quæ aliquam sui diminutionem patitur: ex quo infert, aliquam naturam malam, quæ ex suo genere excellentior est, meliorem esse bona alterius generis; ut aurum corruptum ex parte, & imperfectum, perfectius, & melius est argento bono, & perfecto. Subdit autem cap. 5. hæc verba: *Corruptio autem si omnem modum, omnem speciem, omnem ordinem rebus corruptibilibus auferat, nulla natura remanebit.* Malam igitur naturam inquit esse non omnino, sed ex parte corruptam.

Deinde obseruandum est, rem multis modis perfici posse, & bonam esse. Primo essentialiter, ut hominem corpore & anima rationali. Secundo substantialiter, partibus videlicet ad integritatem substantiæ ipsius spectantibus, ut membris. Tertio accidentarie, facultatibus nimirum, quibus ad operandum sit potens; operationibus item immanentibus, & alijs accidentibus, quibus bona ipsius habitudo constat. Cum vero malitia opposita nihil aliud sit, quam priuatio, vel corruptio integritatis, totidem modis in rebus malitiam reperiri necesse est.

Primo igitur malitia est rei alicuius completa corruptio: Et hoc modo cum res ipsa, & substantia non superât, cui talis malitia, aut priuatio infert, nulla res potest esse mala: quo fit, ut omnis res, eo quod est, bona sit, natura scilicet & essentia sua, cui nunquam deesse possunt, quæ necessaria sunt ad illius essentialem constitutionem, si ipsa permaneat. Ideoque August. lib. illo de natura boni cap. 16. ita scribit: *Non ergo mala est, in quantum natura est vlla natura, sed cuiusque nature non est malum, nisi minus bono, quod si in mundo absumeretur, sicut nullum bonum, ita nulla natura relinqueretur.* Secundo malum contingit in ipsa substantia ex defectu alicuius membri, aut partis integrantes. Tertio ex priuatione alicuius qualitatis, aut operationis, quæ ad rectam ipsius constitutionem pertinet, & utroque modo, secundo videlicet, & tertio, multe substantiæ, & nature sunt malæ. Atque id voluit August. lib. de natura boni cap. illo 4. cum concedit, aliquam naturam, seu substantiam esse malam. Pater igitur ens, & bonum reciprocari: quia omne ens, eo ipso quod est, bonitatem habet essentialem.

Deinde